

Q. D. B. P.
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,
DOMINO
FRIDERICO AVGVSTO,
PRINCIPE REGIO, ET ELECT. SAX. HEREDE.
ETC. ETC.
DISPVINATIONEM PHILOSOPHICAM,
De

RELIGIONE,

L O C V M,

*In Amplissimo Philosophorum Ordine Benigne con-
cessum, vindicaturus,*

PVBLICO ERVDITORVM EXAMINI SVBMITTIT.

M. SAMVEL LVCIVS,
Sora-Lufatus,

COMMILITONE

M. DANIELE HERRMANNO,

Lesna-Polono

Ad Diem 5. Sept. Anno MDCCII.

H. L. Q. C.

VITEMBERGAE.

Typis CREVSIGIANIS.

II. diss. A
, 65

a. LXXX. 65.





L. D. B. V.

C A P V T . I.

Synopsis.

Caput de Religione , et si saepius tractatum, necdum tamen consideratione indignum est I. Non extendit se hoc loco ad revelata. II. Religio naturalis est omnibus hominibus, et si multi eam eradicare tentent. III. Qvi Prudentes dici cupiunt. IV. Dantur odio Atheismi Professores publici, & omnis Religionis contemtores. V. Qvi in quatuor classes dividuntur, quorum *prima* esteorum, qui ore DEVUM & Religionem negant. VI. Quorum specialia nonnulla nomina recensentur. VII. *secunda* classis eorum, qui DEVUM quidem in ore habent , nullum tamen dari praeter Mundum contendunt, qualis Spinoza est, cuius Philosophia de DEO & Religione recensetur. llX. Ante eum eadem docuit Xenophanes Colophonius, cum Eleaticis suis. IX.

A 2

nec

nec non Epicurei , in primis Alexander Epicureus. Da-
vid de Dinanto an eadem docuerit , cum Alexandro ?
X. Plotinus a Bælio , & Aristoteles a Parkero naturali-
smi incusati, excusantur ; non tamen Strato Lampsac-
enus & Andreas Cæsalpinus ab aliis ejusdem impie-
tatis accusati. **XI.** Naturalismus cum similibus do-
gmatibus evertit Religionem **XII.** *Tertiam classem*
constituunt, qvi Regem & Politiam pro numine habe-
bere gestiunt , ut Hobbesius , cuius Philosophia sum-
matim exponitur , **XIII.** *Quarta classis* Prudentum,
qvi describuntur. **XIV.** Contra istos omnes ut de-
monstretur Religio, eligitur methodus Synthetica, qvæ
a suppositis, definitionibus, & Axiomatibus, procedit ad
Propositiones certissimas, **XV.** Supponitur (1) Lex
contradictoriarum **XVI.** (2) Cum hominibus nobis
esse negotium. **XVII.** (3.) Dari Mundum. **XVIII.** Af-
feruntur definitiones (1.) Supremi Entis **XIX.** (2)
Absolute perfecti, **XX.** (3) DEI , **XXI.** (4) Obliga-
tionis, **XXII.** (5) Religionis **XXIII.** (6) Casus &
fortunæ **XXIV.** Axiomata proferuntur qvinque (1)
imperfectum non potest esse supremum , & contra. (2)
qvicquid ut non existens potest concipi , ejus essentia
non involvit existentiam. (3) Qvicquid consilio est pro-
ductum , non fit fortuito. (4) Qvicquid habet esse ab
aliquo, illud ab eo , a quo habet esse dependet. (5) Qvic-
quid habet esse rationale ab aliquo, dependet ab eo, modo
rationalitati conveniente. **XXV.** Sequntur proposicio-
nes probatæ & explicatæ **XXVI.** Propositio I. Datur su-
premium aliquod Ens, idque unicum, & ab Entibus de-
pendentibus essentialiter distinctum. *Prop. II.* Mundus
supremum Ens non est, sed illud , a quo habet esse suum
five

five DEVS, III. Homo conditus est a DEO, ut omnia;
qvæ sunt præter DEVVM. IV. Datur lex qvædam natu-
ræ, qvæ obligat homines. V. Datur honestum & turpe
in statu etiam naturali hominis, illud bonum est sem-
per, hoc malum. *Coroll.* Lex naturæ non dependet ab
utilitate. VI. Homo naturaliter obligatur ad colen-
dum DEVVM, *Coroll.* Religio est universalis inter homi-
nes.

I.



Ramben vel centies recoctam si putas pa-
latui tuo Dissertationem istam offerre, qvid
mirum? Argumentum vides, qvod non
tantum in pluribus Eruditorum scriptis
utramque paginam facit, verum etiam ru-
diori plebi a teneris ungivculis, cum la-
ete materno instillatur. Eqvidem non
sum nescius, discursu identidem repeti-
to, curioso, & pro more seculi, novarum tantum rerum cupi-
doringenio, facile moveri nauicam: cum tamen nec aera aver-
semur, et si eo toto circumcingamur, nec aquam ideo spernamus,
qvod globus terraqueus integra maria exhibeat; æque concessum
erit, de RELIGIONE, cuius insciï, atque inviti qvandoque,
qvandam fovemus scientiam, differere. Si dicas naturali lumi-
ne non tantum notam, verum a plurimis; etiam elegantioribus in-
geniis excultam esse doctrinam; scias, huic rationis Oceanò plu-
rimos qvidem sese commisisse, ita tamen, ut navigantium more
incognitas in eodem latitantes terras, assidua forsan speculatio-
ne reperiendas, non sine omni commendaverint.

II.

Absit autem, ut tremenda sanctæ RELIGIONIS adyta, im-
plorata, A 3 be-

becilli nostræ rationi investiganda proponamus! Superant ea plane captum nostrum: non sapimus ultra crepidam, nec miseris perscrutari licet revelationis divinæ mysteria, qvi domi versantes circa nosmet ipsos, nobis auxiliari vix possumus. Ideo tamen agimus de RELIGIONE Philosophice, ut naturalia rationis principia, qvæ nobis scintillularum instar insunt, excitemus, qvo tandem augescant, & paedagogi instar animum incitent, altiores & perfectiores divinæ revelationis scholas adeundi.

III.

Etsi vero istæ, divinitatis cujusdam, qvædam scintillulæ, insciis nobis, atqve malis etiam invitis, in animo gliscant, & qvandoqve, cum turpia commisimus, in tantam flamمام erumpant, ut eam cum maximo labore restingvere nequeamus; tamen qvod horrendum dictu est, humanæ fortis jam oblii, plurimi, nefanda voce, ab hominibus recta ratione præditis segregari cupiunt: imo nefando ausu id agunt, ut connatum Religionis lumen, aut eradicent, aut minimum obscurent, obliterent, & nescio, qvo detestando modo, in Cameleontis monstrum immutent.

IV.

Pudet me scribere, infrunitam istam & periculosam indolem, qvæ, non dicam DEI sancta verba, sed tantum rectæ rationis rudera irridet atqve proculat, etiam, inter eos reperiri, qvi media luce vivunt. Non tantum Italia, Africa horum monstrorum est, verum etiam Gallia, Belgium, & qvod turpe dictu, Germania nostra, adeo iisdem est referta, ut sub specioso Prudentum titulo passim se nobis objiciant.

V.

Utinam vero Dive Augistine, non in dubium vocari possent tua verba: *Dixit stultus in corde suo, non est Deus, in corde quidem, quoniam id ore, ac publice profiteri non audet!* Talia namqve vivimus nunc tempora, in qyibus negare amplius non possumus, dari Atheismi Professores, tam publicos, ut facile sit

fit monstrare eos digito, & dicere: Hic est. Præter id namque,
quod Belgum hujus nequitiae asylum, plures exhibeat; non am-
plius Germanorum animi, ut olim, pietatis & superstitionis sunt
tenaces, sed interfusum est hujus impietatis venenum, plenis phia-
lis illorum animis.

VI.

Sunt autem, qui omnem abhorrent Religionem, eamque
plane emasculare gestiunt, in varia positi differentia. Ultima
hic stultiæ linea est, eam profiteri publice, quæ in illos cadit,
qui connatum, & divinitus impressum divinitatis sensum, nefando
modo, magno cum labore suppressere, vel obruere conantur.
Vix credi potest, homines talia agere, ut videantur versi in pe-
cudes, & apti potius numerari in bestiis, quam, ut in hominum
veniant computum. Dabit tamen immania ejusmodi monstra
plura Gallia; * MARINVS MERSENNVS, quinquagies mille,
PETRVS GREGORIVS TOLOSANVS vero, sexagies mille,
hic fatetur habuisse pro Symbolo: Mens perit & corpus.

VII.

Nomina specialiora horum hominum non quidem sunt di-
gna ut proferantur, recensenda tamen ordinis gratia nonnulla,
jam olim a Scriptoribus atro carbone notata. Occurrunt hic sta-
tim ex SEXTO EMPIRICO, DIAGORAS MELIVSob impietatem
Atheus dictus, & e CICERONE THEODORVS CYRENAICVS.
De LVCIANO deitatem subinde contumeliofissime incessante, tan-
dem a canibus dilaniato, videatur ** IVSTINVS MARTYR; & de
AETIO temere & audacter de DEO disputante *** SOZOMENVS
Recentiores sileo, GOTHOFREDVM DE VALLE; LVCILIVM.
VANINVM a TAVRISANO, FRANCISCVM RABLAESIVM,
MATHIAM KNVZIVM, CASIMIRVM LYSCYNISKY, Tur-
cam MAHOMET EFFENDI, & alios plures, qui tam abomi-
nan-

* Comment. in Genes. p. 671,

** In orat. ad Græc.

*** L. 3. Hist. Ecc.

nando modo lumen de DEO connatum extingvere fategerunt, ut
qvidam horum etiam atrocissima tormenta subire non recusarint;
nefandæ impietatis pervicaces martyres!

IIX.

Parum ab his recedunt, qvi, etsi nomen Dei freqventer in o-
re habent, tamen nec Deum, nec diabolum, nec cœlum nec infer-
num, nec honestum, nec turpe admittunt, unoqve actu omnem
Religionem, omnemqve pietatem ex hominum animis tollunt.
Vnum hic nominabo famosum Impositorem *SPINOZAM, qvi sa-
tis audacter scribit, non dari peccatum, nisi in ordine ad civitatem,
nec posse concipi in statu naturali peccatum, atqve in civili demum
decerni, qvid bonum sit qvidve malum. Qvæ si conferantur cum as-
sertis ejus absurdis, de Fato, de Deo a Mundo minime distincto,
qvid clarius indicant, qvam Religionis despectum? Is sane nul-
lum Dei cultum admittit, qvi DEVUM a mundi machina distin-
ctum negat, nec ullum in natura honestum, vel turpe concedit,
& tandem omnem Religionem superstitionis loco habet.

IX.

Non vero plane nova sunt dogmata ista paradoxa, sed re-
perio passim apud antiquos hujus Philosophiæ vestigia, qvæ pres-
esse videtur homo atheus. **XENOPHANES COLOPHONIVS**,
cum universa sua, cuius ipse auctor extitit, secta Eleatica, adDE-
MOCRITVM & LEVCIPPVM usqve, hisce maxime parallela pro-
posuisse videtur. Qvod enim in ore omnium erat dieterium, V-
num esse omnia, sono tantum, non sensu differt ab effato SPI-
NOZAE, quo præter DEVUM nullam dari neqve concipi posse
Substantiam, afferuit. Audianius **ARISTOTELEM, qvi clare di-
cit, ad totum Cœlum respicientem XENOPHANEM, unum as-
seruisse DEVUM. De PARMENIDE, XENOPHANIS sive Audi-
tore sive Socio vjd. EVSEBIVS. DEMOCRITVM vero & LEV-
CIP PV M, nunc attingere opus non est, nota namqve sunt omni-
bus horum corpuscula, qvæ, nesciunt an fortuito, an necessita-
te

** Eth. Part. II. Prop. 36. Schol. 2.

** Metaph. L. I. C. V.

te quædam Mundum constituisse videntur afferuerant, & quæ reliqua sunt vanæ mentis vaframenta.

X.

Venio ad Epicuri de grege porcos, quorum Hyperaspistes a *** CHAVVINO vafer dicitur fuisse Atheus, quod teste CICERONE, omnem animis hominum extraxerit Religionem. De ALEXANDRO EPICVREO, Plutarchi sodali, constat, eum cum mente SPINOZAE amice conspirasse. Auctore namque ALBERTO ** materiam dixit esse Deum, & ideo omnia esse idem. De DAVIDE de DINANTO, quem secutum fuisse ALEXANDRVM, THOMAS de AQVINO testatur, ut dubitem, faciunt ea, quæ habet Magnif. ROESCHELIVS in Dissertatione de Creatione prima. *** Qvicquid horum, sive afferuerit, materiam esse DEVVM, sive Deum esse materiam, eodem se Labyrintho implicat. De ALMARICO certius, constat, eum docuisse Deum esse omnia, Creatorem & Creaturam esse idem. Illud v. observandum, quod notavit Magnif. ROESCHELIVS, **** hominem nasutum pro notione materiae, nomen finis substituisse, quo omnia sint reversura. Clara interim sunt verba, quæ ex GERSONE proponit THOMASIVS, DEVUM esse essentiam omnium Creaturarum.

XI.

Nescio an jure BAELIVS * PLOTINO paria adscribat, videtur namque universa Schola Platonica ab hisce absurdis maxime recedere, in quo consentientem habeo JACOBVM THOMASIVM. Illud vero me pene male habet, quod doctissimus SAMVEL PARKERVS ** Aristoteli rem tam absurdam tribuere voluerit, & ante eum jam pridem CLEMENS ALEXANDRINVS. *** Causam vero Aristotelicorum quorundam, potissimum

B

STRAT.

* *De Relig. Nat.*

** *Phil. tratt. 3. Cap. 13.*

*** *Thef. 4.*

**** *loc. cit.*

* *In Sita Plotini.*

** *De DEO & Prodig. Disp. Pect. 24. p. 65.*

*** *In admonit. ad gentiles.*

STRATONIS LAMPSACENI contra CICERONEM , & ANDREAE CAESALPINI contra laudatum PARKE RVM, non agam. .

XII.

Quid vero lacunas istas colligo putridas & fœtidas? hauserint Naturalistæ sua deliramenta, unde voluerint, dicant etiam hic, cum his idem cornu inflantes GLISSONIANI, BIVSI-
ANI, & HYLOZOICI, qvid velint. Nobis sufficit dogmata ista, cum existentiam DEI, a Mundo distincti, inficiantur, omnem evertere Religionem.

XIII.

An vero in stultitia recensitos superent COSMVS Italius, & HOBESIVS, judicent alii? Horrendum dictu est, qvod isti, Principes & Reges pro numine habere, gestiant, eoqve jam omnem Religionem naturalem & revelatam auferant. Merito SAMUEL RACHELIVS miratur, qvomodo ullius Viri docti bonique suffragium mereri potuerit HOBESIVS, magis tamen admiratione dignum conso, qvi Vir teste Illustri Polyhistore SCHVRZFLEISCHIO *, in recondita Philosophiæ, qvæ mores spectat, scientia, apprime versatus, in tam aperte absurdâ prolabi potuerit, iisqve tam pertinaciter adhærere, & omnia scripta sua coinqvinare. Derogat Revelationi omnem certitudinem, & homines ipsos in tam miserum conjicit statum, ut etiam rationem, qvæ vix imperium agnoscit voluntatis, nunc civili subjiciat potestati. Religionem neqvidem Philosophiam esse concedit, sed in omni Civitate legem, & propterea non esse disputandam, sed implendam. Etsi vero Pietatem naturalem hic excipere videatur, tamen, qvod ipsi perqvam familiare est, non una dicit, sed in tenebris diversa miscet. Quid enim tandem erit Pietas naturalis, si etiam in iis, ex quo per ratiocinationem, consequentiae contumeliosæ possunt derivari, Religio non Philosophia est, sed lex Civitatis. Et illa demum, etiam in his rebus est recta ratio, qvæ submittitur rationi Civitatis? Plura nunc non afferemus
qvi-

* Epist. 131.

qvibus Religionem destruere, ac omne impietatis genus introducere conatus est, nec ista nunc refutabimus, ne, si unum refutetur, alia nobis obtrudat, qvæ, ut ex Lernææ Hydræ capite uno amputato, septena renascantur, brevitati nostræ minus convenientia.

XIV.

Tandem non est prætermittenda Titanica qvorundam Impietas, qvi etsi fateantur, dari qvoddam supremum Numen, in meditullio tamen cordis Bacchanalia vivunt, omni religioni tanquam tralatitiis infirmi popelli opinionibus illudentes. Vix credibile est, istos homines, qvos emotæ mentis putares, affectare titulum Prudentum: nullum enim unqvam commentum tam stultum, atqve sui eversivum fuit, qvam hoc ipsum. Non negant prorsus Summi Numinis existentiam, nec ore omnem Religionem inficiantur, ne opprobria irreligiosis obtingant, & gratiam hominum amittant; severitatem tamen religionis oderunt, sicqve judice CHAVVINO * neutri sunt, nec Deo nec Hominibus plane accedentes: mutila qvædam hæresis sectæ Atheisticæ, qvæ non qvidem probat Atheismum exosum, omnem tamen cultum & Religionem expectorat, & oblitterat, vel si cultum qvendam profitetur & præstat, simulatum tantum & fictitium. Prudentiam ergo isti putant, DEO & hominibus imponere, imo plane magnam & singularem, fortes enim appellari cupiunt, les E-sprits forts. Vid. Voetii Disputationes.

XV.

Possemus supersedere demonstrationi existentiæ Religionis, nec tamen opus foret prolixa argumentatione, qvam potius obtestatione, si cum hominibus sanæ mentis tantum, nobis foret negotium; sed qvod dolendum est, jam recensiti Religionis subsannatores, tam emoti videntur a ratione humana, ut cum Satyris aptiores sint inter medias sylvas, qvam inter homines vivere. Quid tandem cum bubonibus istis agendum quorum oculos, clausos nescio, an cæcos, splendidissimum veritatis

B 2

ju-

* de Relig. Natural. Cap. 1.

jubar non perstringit? rationes non magis audiunt, qvam &
D. ANTONIVS suibus & Avibus, aut Franciscus fratri suo, asino,
concionetur. Si putemus absurdā, & semet evertentia dogmata,
nec refutatione digna esse, nec veritatem, omnium mentibus ta-
cita qvadā jucunditate se insinuantem, prolixiori demonstra-
tione opus habere; Quid aliud nobis promittere possumus, qvam
jactationem magnæ, contra veritatem obtentæ, victoriæ. Ita
ergo procedendum, ut ex suppositis, & evidentissimis definitio-
nibus tandem propositiones demonstrativæ eliciantur, vel ideo ve-
ræ, qvod supposita & definitiones concessa fuerint, qva metho-
do etiam ideo utemur, qvod maximam partem hostes veritatis,
qvanqvam præpostere & callide, ea usi fuerint.

XVI.

Supponere hic vix qvicqvam licet; effrænis enim licentia
qvidlibet negandi, qvæ specioso Philosophandi libertatis titulo
hisce hominibis venit, eo usque jam dementiæ progressa est, ut
qvicqid de Ente æterno vere, & infinito, de honesto & turpi,
de lumine naturæ & principiis innatis dixeris, ea omnia alto na-
so despiciant. (1.) Legem tamen contradictiarum, etsi ra-
tionalitatem & divinitatis rudera ejurare cupiant, negare non po-
terunt: impossibile est idem esse & non esse, imo nec negabunt, ni
potius virgis qvam rationibus refutari malint.

XVII.

Laborent vero, quantum velint effrænes homines in ne-
ganda naturali Religionis notitia, qvæ altissimas in humana mente
egit radices. Negent etiam horrendo, & impudentissimo ausu
qvid tandem velint, hoc fatebuntur (2.) se esse homines, in pe-
ctore gestare se cor admirando modo constructum, oculos habere elegan-
ter confeitos, tamque artificiose fabrefactum circumgestare cor-
pus ut etiam prudentissimos in admirationem rapiat: fatebun-
turbuntur etiam se multis infirmitatibus obnoxios, se non dedisse
sibimet actualem existentiam. Secus enim si illud negabunt, bestiis
eos annumerabimus, si hoc vero, mentis emotæ erunt, qvi tamen
gravissimo Prudentum superbiunt titulo.

XVIII.

XVIII.

Sunto porro Cartesianissimi hi homines, qui summam putant prudentiam de omnibus dubitare, etiam quod cœlum, terra & mundus sit, tamen nunc, quippe non tyrones, sed prudentes Philosophi, Scepticis Acatalepticisque absurdiores non erunt, ut falsa ista omnia esse dicant, quin potius non in primis hisce dubitantis Philosophiae liminibus hæsitantes, sed præ aliis sapientes, pleno assensu hoc dabunt: (3) *Dari admirandam Mundus machinam, abstrusissimos in ea Naturæ effectus, talemque partium structuram, quæ intellectum humanum superat, ac assiduarum speculationum sufficientissimam præbent materiam.*

XIX.

Illud quidem usitatissimum est iis, qui omnem Religionem ex alto despiciunt, ut infirmæ ratiocinationis, præcipitantiæ auctoritatisque nobis objicant præjudicia, ac ex hisce straminea blaterent esse pro Religione deducta argumenta. Verum quam falsa ea omnia sint, demonstrabit simplex rerum apprehensio, quæ tanta apud nos prædita est veritate in hac materia, ut ne ipsi contra eam hincere quidem audeant. Id namque (1.) nobiscum per Supremum intelligunt: *Quod est a se, cuius essentia involvit existentiam, quod ipsum a nomine alio productum est, et si cetera ab eo dependeant.* Non negat hoc Antesignanus Naturalistarum SPINOZA, sed hanc in Ethica sua definitionem ponit: per causam sui, intelligo id, cuius essentia involvit existentiam, sive id, cuius natura non potest concipi, nisi existens: quam tantisper pro vera habebimus, quoniam ad asserta pro Religione proferenda multum facere poterit, et si non diffiteamur, definitionem SPINOZÆ, & captiosam & falsam esse. Vid. POIRETT *

XX.

(2.) Per absolute perfectum, uti nil aliud possumus intelligere, quam quod omnes perfectiones simpliciter tales continet, ita id, quod infirmitatibus est obnoxium, imperfectum verissime dicitur.

B 3

Secus

*Fundm. Ath. Evers.

Secus enim si in absolute perfecto darentur imperfectiones, & absolute perfectum foret, & non foret, qui conceptus prorsus contradictorius est.

XXI.

(3.) Per DEUM intelligimus *Ens plenissimis & meritis realitatibus praeditum*, quarum nulla vel minimam imperfectionem involvit, quae cum omnes ex Spiritualitate & independentia, tanquam fonte, fluant, eodem Sensu, aliis duntaxat verbis, dicemus *DEUM SPIRITVM INDEPENDENTEM*.

XXII.

(4.) Obligationem dicimus: *Vinculum Juris, quo necessitate adstringimur alicujus rei praestandae.*

XXIII.

(5.) Nomine Religionis venit *Divinus cultus*, tum qvoad actum elicitum, tum qvoad imperatum uno verbo, per Religionem intelligimus supremi Entis, a quo cetera omnia dependent, venerationem.

XXIV.

(6.) Casus est causa per accidens in actionibus rerum naturalium, ob certum finem susceptis, ubi praeter intentionem alius nonnunquam accidit eventus. (7.) Fortuna est causa per accidens, in actionibus hominum certo consilio susceptis, ubi praeter intentionem alius nonnunquam accidit eventus.

XXV.

Progrediendum nunc ad specialiora axiomata tam evidencia, ut a nemine sanæ mentis negari possint.

1.) Imperfectum non potest esse supremum Ens, & Ens omnium supremum esse prorsus perfectissimum debet, sive omnes continere perfectiones simpliciter tales. Patet hoc ex conceptu Entis Supremi

mi, id namque est causa sui, h. e. nullam aliam agnoscit causam (per definitionem 1.) Id vero quod nullam aliam agnoscit causam, independens est necessario, & conseqenter infinite perfectum, secus namque imperfectissimam agnosceret imperfectiō-
nem, transiisse ex nihilo in aliqvid, imo non foret independens,
nec a se, quoniam a perfectione possibili dependeret. Imo a-
perta est contradic̄io, esse supremum, & tamen minimam ad-
hucdum possidere imperfectionem. Foret namque & poten-
tissimum & perfectissimum, quoniam diceretur supremum & in-
dependens, quae sane summa perfectio, & simul impotentissi-
mum & imperfectissimum, quoniam minimam ponere non pos-
set perfectionem, minimae imperfectioni oppositam. Verissi-
mum ergo est axioma. Qvia impossibile est, idem esse supre-
num, a se, & perfectissimum, & tamen non esse supremum, sed
agnoscere supra se, quod adhuc est perfectius, dependere a per-
fectione possibili & esse imperfectissimum (per suppos. 1.)

2.) *Qvicquid, ut non-existentis potest concipi, ejus essentia non involvit existentiam.* Hoc fluit ex axiomate præcedaneo & de-
finit. 1. Etsi namque existentia & essentia in rebus omnibus
sint realiter inseparabiles, tamen in omnibus Entibus imperfe-
ctis, conceptum essentiae habere possum, et si non concipiatur il-
lius rei existentia. Id vero, quod summe perfectum est, non ali-
ter, nisi existens, concipere possum. Secus enim non perfectum,
sed imperfectissimum conciperem. Sic existentia hominis hu-
jus vel illius non est juncta necessario essentia; sive clarius: po-
terat aliquis de homine conceptum habere, ut tamen negetur, eo
momento de quidditativo conceptu existentia; hoc intelligi de-
bet quando dicimus essentiam non in volvere existentiam. A-
llias enim omne Ens reale existere, est verissimum.

3.) *Qvicquid consilio est productum, non fit fortuito.* Hoc
est verissimum. Qvicquid enim præter notionem voluntatem-
que agentis producitur, atque inopinato ex confluentibus causis
evenit, casu sive fortuito fieri dicitur; Qvicquid vero consilio
fit, cum sapientia rei excogitatione, ex sapientissimo nexu cau-
sarum ad producendum effectum: id ergo, quod ex sapientissi-
mo causarum nexu oritur, non potest oriri præter notitiam &

yo.

voluntatem agentis; secus enim & foret casuale, & non foret, qvod est contra suppositam contradictiarum legem.

4.) *Quicquid habet ab alio esse suum, id ab eo, a quo habet esse, dependet.* Si enim non dependeret ab eo, non amplius habet esse ab illo. Si ergo pensitemus Entis a se excellentiam & Entium ab alio imperfectionem cum illa conferamus, omnia præter Ens a se, dependentia, & propter dependentiam subjecta reperiemus.

5.) *Quicquid esse rationale habet ab alio, id etiam modo rationalitati maxime congruo ab eo dependet.* Dependet namque qva totum esse, (per Axioma præcedens) Ergo etiam qva esse rationale, ut conscientia proinde subjectionem & dependentiam, amorem etiam illius, a quo esse suum habet, statim indicet, & amoris vinculo rationalem creaturam arcte colliget, eumq; propter amorem activum ad reciprocum amorem obliget.

XXVI.

Ex hisce Suppositis definitionibus & axiomatibus per consequiam firmissimam & immeditam ducuntur assertiones, qvæ negari non poterunt.

PROPOSITIO. I.

I Datur Supremum aliquot Ens, idq; unicum, & ab Entibus dependentibus essentialiter distinctum.

Demonstratio est facilis. Alias enim nullum plane daretur existens in rerum natura, cum id qvod imperfectum est a se esse non possit, sive supremum: (per Axiom. I.) sed dantur innumera Entia imperfecta, E. tandem ab aliquo sint qvod supremum est, necesse est, tam diu enim negatur existentia imperfectorum Entium qvam diu negatur existentia alterius Entis, qvod est a se, sive supremum: per definitionem I.) & qvod non est a se, uti non est absolute perfectum (per definit. 2.) ita nec est supremum. (per Axiom. I.) Ex hactenus dictis fluit unitas Entis supremi, si namque aliud præter id ipsum esset supremum, jam non possideret omnes plenissimas

rea-

realitates, imo non esset supremus, qvia haberet sibi æqualem, ratione cuius supremus non foret. Esse autem Ens supremum non abstractum qvoddam, sed essentialiter distinctum ab imperfectis, evidens est, qvoniam alias unum idemque, qva rem foret supremum & infimum, perfectissimum & imperfectissimum, & sic jam perfectum tantum esset mere fitum, imo nullum, qvia imperfectum non admittit omnes perfectiones, perfectum vero includit (per definit. 2.)

PROPOSITIO. II.

Mundus supremum Ens non est, sed illud, a quo habet esse suum, sive DEUS.

Nihil certe absurdius unquam dici vel fingi potuit, qvam hunc Mundum a se esse, & e turbulentia atomorum concursione prodisse. Nihil vero magis admiratione dignum videtur, qvam explosam Epicuræorum Morosophiam, nunc a nonnullis recoctam plurimorum, etiam prudentum, ut dici volunt, sustentari suffragiis. Aperte absurdum! Ens supremum est id, qvod est a se, cujus essentia involvit existentiam, qvod productum est a nemine, et si cœteræ omnia ab eo dependeant, (per definit. 1.) nullum horum de mundo dici potest: causa sui non est, qvia essentia non involvit existentiam, potest namq; optime mundus sive existentia concipi, plane uti concipimus alium Mundum præter istum, et si eundem non concipiamus ut existentiam. Sed vero, qvod ut non existens potest concipi illius essentia non involvit necessario existentiam (per Axiom. 1.) Si dicas: Mundum tamen non productum esse ab alio sed coaliuisse fortuna ex Atomis, ulcus tangis: si namque ex Atomorum concursu demum resultavit, jam eo ipso cœpit esse, & jam ab alio, suum esse habet, & ab eo, a quo esse habet, dependet [per Axiom. 3.] & sic supremum Ens non est. Imo nec fortuitus Atomorum concursus admirandam hanc machinam efficere potuit: Cernimus enim in compage Mundi, admirandam in ejusdem fabricatione sapientiam, id vero, qvod

C

consp

consilio hoc modo prodiit, fortuna & casu non existit, (per
Axiom. 4.) Attendamus porro ad rem ! quid est Atomus ?
num tantam perfectionem habet, ut sola naturæ virtute existen-
di ei competit necessitas ? Id qvod necessario existit, infinite
perfectum esse debet, non diffitente SPINOZA. An vero Ato-
mus perfectiones omnes continet ? cur omnes Atomi tandem in
Mundum coaluerunt vagabundis & hinc oberrantibus perfecti-
orem. Sic perfectissimum, ut perfectius fieret, transiit ad im-
perfectius qvoddam ; contradictiones innumeræ ! Tandem sint A-
tomii a se, unde motus ipsis competit ? a gravitate qvod dixit
EPICURVS ? explosum hoc a Magnif. ROESHELIO disputat. de
Creatione. Conveniat porro motus ipsis a se , unde conjunctio
Atomorum tam sapiens, harmonica & admiranda? consilium for-
te, Intellectus, idonei electio & infinita Sapientia ipsis inest ? de-
lirus sit, qvi hæc sentiat. Nec pudet, nec piget aurea prorsus
verba Magnific. ROESCHELI, Præceptoris & Hospitis venerandi
utut prolixa , ex citatae Disputat. Thes. 46. apponere, qvibus E-
picurææ sententiæ jugulum petit ; Ut vero Atomos a se ipsis esse
non posse perspicias, finge solitariam atomum ex omni aeternitate, in im-
menso spatio habitare ; annon vero ea in vasta sua solitudine solivaga
spectaculum perridiculum videretur ? Eam ab omni parte diligen-
tissime circumspice, & quanta potes attentione adverte, qvid in ea
deprehendas, ut a se sola sempiternam stabilitatem habeat, ut hac
figura atque magnitudine potius quam alia quacunque gaudeat, ut
sine caussa in spacio immenso hunc occupaverit locum. Et si impe-
trare à te poteris, extitisse eam, expende, cur non sola ? cur aliæ
innumerabiles simul extitere, cum nullum iis invicem commerci-
um intercedat, neque altera alterius causa sit ? Porro si atomi nul-
lo pacto in existentiam proruperunt sed quælibet à quælibet soluta,
sua virtute existit sibiique ipsa existendi principium est, fortuitum
esse necessum est singulis, reliqvas omnes existere. Et sic erunt en-
tia & necessaria & contingentia, possibilia, & talia, qvæ possint
non esse. Si possunt non esse cur existunt ? Si sunt vere infinita,
qui potuit aliquid nasci ? Infinita quippe corpora æqualia sunt in-
finitis spatiis, & si æqualia sunt, implent eadem, si implent, interci-
pitur omnis Naturæ Epicura motus & actio.

PRO-

PROPOSITIO III.

Homo conditus est à DEO, ut omnia, quæ sunt præter DEUM.

Suppositum fuit, nobis cum hominibus intercedere negotium & qui credunt, se mirum in modum constructos esse. Intueatur, quicunque hoc negat assertum, semet ipsum; Microcosmum intuebitur, innumera admiranda, inter plurimas tamen imperfectiones primam hanc reperiet, se independentem non esse. Ascendat ergo altius, & inquirat in parentes, proavos & remotissimos Majores, adigetur tandem subsistere in aliquo primo. Etsi vero constet etiam ipsi Naturæ repugnantem processum in infinitum nonnullos cum Spinoza afferere, tamen etiam non ignotum est, Spinozam eundem, à Rabbi Ghasdai defensum, refutare. Unde vero primus Homo? aut à se aut ab alio, non a se, Hominis enim essentia non involuit existentiam, iergo nec primi hominis; secus namque primi Hominis essentia toto Cœlo esset diversa ab essentia aliorum hominum, eruntque jam omnes homines generati, effectus primi hominis æqvivocus nec hominum nomine digni. Cujus vero essentia non involuit existentiam non Ens supremum (per definit. 1.) Patet res porro: Ens supremum continere debet omes perfectiones (per Axiom. 2.) Homo vero in conceptu, plurimas imperfectiones involuit, ergo supremum Ens & a se esse non potest. Imo quia imperfectum non potest esse Ens supremum, toto genere jam aliam habet essentiam ab Essentia Entis supremi, & jam opponetur ei quod est à se, sive quod perinde est, erit ab alio, Si ab alio, sane à nobiliori & potentiori; hominem enim alium hominem facere non posse, omnes scimus. Qvis vero iste? num casus aut fortuna? Inspiciat hoc afferens cor humanum, oculum, cerebrum, vel quacunque tandem velit corporis partem & illam conferat cum structura ejusdem membra in aliis hominibus. Uno eoque modo cor deprehendet stupendo modo constructum, arterias corporis humani minimas etiam, exakte proposito exemplari correspondentes, uno verbo, simili ratione formatam machine. Qvis auctor tanti consensus tamque sapientissimæ har-

moniæ? an casus an natura? Si casus, qvomodo tam sagax artificium intulit, & unum & idem & simillimum innumeris myriadibus hominum continuat? sed casus non potuit rem tam sapienti consilio productam efficere, (per Axiom. 3.) ergo Natura. Qvæ vero illa, Mundus forte? Vnde cogitatio hominis, qvam nullibi in Cœlo & in Terra reperio. Non potest esse causatum nobilius sua causa, ergo Naturam aliam, qvam Mundum qværere debemus, nobiliorem, & intellectu summo, & Sapientia præditam. Hæc ergo DEUS est, a Scholaisticis Natura naturans dicta. Est ergo uti totus Mundus à DEO, ita etiam primus Homo, Q. E. D. Non est qvod objiciat qvis, formari hodie homines ab hominibus per generationem; id enim non qværitur, sed unde primus homo habuerit esse, & à qvo dependeat. A qvo enim ille dependet, ab eo & nos depēndebimus, mediate utut. Sic ergo in nosmet intuentes DEUM advertimus & quasi palpamus, ut proinde morosophia illorum tantum deridenda sit, qui DEUM à Natura distinctum negant; Morosophiam recte dico, isti namqve homines primam Sapientiæ regulam negligunt; Nosce te ipsum.

PROPOSITIO. IV.

Datur Lex qvædam naturæ, qvæ obligat homines.

Datur enim Ens aliquod vere supremum (per Proposit. 1.) a qvo, uti cætera omnia, qvæ verè sunt, ita potissimum homo etiam esse accepit, (per Proposit. 3.) à qvo vero aliquid habet esse suum, ab eo quoque dependet (per Axiom. 4.) Imo qvia esse rationale accepit Homo à DEO (per Supposit. 1.) dependet etiam à DEO, modo rationalitati maxime congruo (per Axiom. 5.) Sola v. observatio Iuris naturæ & observatio honestarum actionum, imo ipsa lex Naturæ, cordibus inscripta & connata, à belluis nos distingvit, nec aliter possum concipere dependentiam qvandam rationalitati convenientem, qvam ut rationalis Homo cogitet se à DEO cepisse esse suum, ut fa-

te-

teatur, dependere se, & propter omnia sibi concessa ad gratias habendas impelli. Non quidem indiget meridies luce, nec propositio nostra demonstratione, vel centum interni testis testimoniis asserta, stabilita, vindicata. *Επειγοστας* tamen hoc addimus, DEUM hominem non alium, quam rationalem creare voluisse, ergo eundem etiam non ad solam vitam mortalem, quam bruta vivunt, sine sensu & cognitione sui condere voluisse, nec potuisse. Secus enim & intellectualis Homo foret & non intellectualis, quia non ad finem rationalem creatus esset, quod est contra Suppositum. Intuamus 1.) porro nosmet ipsos; voluntas nostra ita comparata est, ut dato objecto amabili natura actum Amoris ex se eliciat: amabilius vero objectum ubi reperiam, quam DEVM, quam mei similem? Ergo eo ipso obligamur, jam interna lege, DEO & hominibus. Nihil ergo magis hominem decet, quam ut conditorem suum amet, eum reveratur, omniqve laude prosequatur, quod ipsum ad generalem rationem legis jam sufficit.

PROPOSITIO V.

Datur honestum & turpe, in statu etiam naturali hominis, illud bonum est semper, hoc malum.

Non jam multis probabo honestum & turpe, actibus per se, & præcisa omni superioris voluntate inesse, & hac ratione morale distingvi a legali; illud dixisse sufficiat, honestum & turpe per legem promulgatam in corde clarissimis se insinuare radiis mentibus nostris, ut proinde non possimus dubitare de ratione honesti & turpis, in statu etiam naturali. Absurdum ergo docuit SPINOZA in Ethica: In statu naturali ne quidem concipi posse peccatum. Datur enim lex, quæ obligat homines, (per Proposit: præcedent) Ergo, quod cum ista lege convenit in actionibus nostris, est bonum, quod non convenit: est malum. Vt ergo lex non est aliquod Ens rationis, ita quoque honestum & turpe pro mera opinione haberi non potest.

COROLLARIVM.

Lex Naturæ non dependet ab utilitate.

Non enim in essentia sua involvit socialitatem, nec requiritur ista ad conceptum juris, et si, tanquam necessarium consequens, per communicationem juris inferatur. Id vero, a quo aliquid dependet, quodammodo prius esse debet, ex principiis Metaphyfisis. Si ergo demum ex Iuris communicatione resultat socialitas, multo minus consequens Juris honesti vel turpis, potest esse vel causa, vel mensura, vel simile quid? Falsum ergo docuit Philosophus Malmesburiensis, qui homines, fungorum more, e terra subito ortorum considerari vult, sine omni unius ad alterum obligatione, et si quilibet in ista conditione obligetur ad sui conservationem. Magis vero absurdum est, quod ex ista elicit hypothesis, naturam hominibus jus dedit in singula, cumque multi unam rem saepius appetant, omnibus in statu naturali impertivisse voluntatem laedendi. Quare tandem putat, conditionem hominum ultra societatem civilem aliam non esse, quam voluntatem laedendi. Itane vero Deucalion exsurgere fecit homines jactis lapidibus, ut projectus alter in alterius caput, alteri bellum inferat, atque sic omnes in omnes certamen natura parent. Indigna Philosopho nedum Christiano, assertio! Invitat nos benigna mater, Natura, Juris communicatio, imo indigentia ad societatem, ad amorem, ad vitam tranquillam, non ad bellum & interitum. Quid porro dicendum? nonne sic fenestræ, imo portæ nequitiae aperiuntur, si id omne justum natura dicamus, quod est utile. Plura nunc attingere opus non est, hujus enim Philosophiæ inurere velle carcinomata, Augæ foret purgare stabulum.

PROPOSITIO IV.

Homo naturaliter obligatur ad colendum Deum.

Quod ex antea, dictis est evidentissimum. Homo namque nobis

nobile utut Ens, imperfectum tamen est (vid. Próposit. 3.) adeoqe non est Ens supremum (per Axioma 1.) sed a Deo sive En- te perfectissimo conditus , (per Propos. 3.) & ideo , qvia con- ditus est a Deo, accepit a DEO esse suum , & conseqventer ab eo dependet (per Axiom. 4.) & qvidem dependentia rationalita- ti maxime congrua (per Axiom 5.) qvæ in eo consistit, ut cu m per rationem intelligere possit , qvanta in se collata sint a supre- mo Ente bona , eo ipso fateatur , se obligatum esse ad mutuumamorem illius , a qvo omnia habet, qvibus fruitur. Imo non po- tuit DEVS , qvi tantum amavit hominem , ut eum , non dicam, ad similitudinem suam formarit saltem præ cæteris creaturis no- bilissima essentia instruxerit , eum creare sine obligatione ad amo- rem reciprocum. Etenim , teste SPINOSA * *cum rem nobis si- milem amamus, conamur, quantum possumus efficere, ut nos contra amet.* Si ergo hominem amat DEVS, vult ut ab ipso , vicissim ametur, & homo ad amorem obligetur : Eo ipso ergo jam tam altas radices egit lex, ut dubitem , DEum rationalem creaturam ex legem creare potuisse. Lex vero ista naturalis, cum ea, qvæ in se moraliter bona vel mala sunt præcipiat vel vetet, & homines ob- liget, ante omnia obligare debet ad agnoscenda DEI beneficia, & glorificationem Creatoris, submissionem etiam , & conformatio- nem in actionibus in qvo consistit naturalis cultus divinus , ad qvem proinde sic ex naturalibus principiis homo obligatur,

Q. E. D.

COROLLARIVM.

Religio est universalis inter homines.

Cum natura enim rationali oritur , & tam late patet, qvam ipsa rationalis Natura. Qvare videmus barbaras etiam natio- nes, in universum omnes DEO religiosum cultum offerre. Si terram percurramus , observabimus forte , urbes sine moeniis sine literis , inbarbara inscitia demersas nationes , sed ta- men non occurret , qvæ DEVVM non ado- ret.

* Eth. part. 3. Prop. 33.

CAP

C A P V T . II.

Synopsis.

Connexio cum capite præcedente s. I. naturalis Religio pure talis non datur hodie II. Definitiones I) Religionis naturalis, III. 2.) fundamenti IV. 3.) civitatis V. Axiomata VI. 1.) qvicqvid lædit sanctitatem Dei, & Majestatem, id Religionis naturalis esse nequit. 2.) nullum fundamentum suo fundato est posterius & qvicqvid fundato ut posterius potest concipi, illud illius fundamentum esse nequit. 3.) qvicqvid in natura fundatur immediate, citra sacrilegium nemo ad se vitrahere potest. 4.) ad qvodcunqve homo naturaliter obligatur, ad id ipsum omnes nullo excepto obligantur. 5.) Civitas in sequitur demum statum naturalem. 6.) Princeps Civitatis non est supra Deum. 7.) omne id qvod insidiatur tranquillitati publicæ, est perniciosum, & quo magis qvid tranquillitatem civitatis promovet, eo magis est conveniens. Seqvuntur Propositio-nes I.) Religio non est lex civitatis, multo minus ter-ricula mentum ad percellendos hominum animos ex-cogitatum, sed vere lex omnibus hominibus ingenita. Notatur simul in probatione Hobbesius & Machiavellus. Propos. 2.) fundatur proxime Religio non in potentia divina, multo minus in socialitate, minime dissidiis hominum, sed *ἐν τῇ ὑπεροχῇ*, atque bonitate divina. 3.) Religio potestati civili subjecta esse non potest, nec potest Princeps Religionem talem vel talem imperare. Qvousque libertas Religionis se extendat, explicatur, nec non, qvatenus potestati civili subjaceat,

at, ubi de officiis Magistratus circa Religionem. 4.) Non decenter etiam secundum naturam colitur nisi unus, &c. ubi de Politheismo gentilium, de Trinitate, an eratione nota, de cultu Imaginum. 5.) Omnis cultus crudelis & ridiculus, maxime vero simulatus, est contra Religionem naturalem. 6.) Etsi naturaliter obligemur ad colendum DEVM, tamen omnes etiam naturaliter ita comparati sumus, ut, si nostram conditio nem intueamur, fateri necesse habeamus, Cultum nostrum divinum, qvatenus naturalis est, esse admodum imperfectum, perfectionemqve magis esse convenientem. 7.) Religio Christiana maxime naturalis est. 8.) Religio nulla statui civili est tam conveniens, qvam Christiana, ac speciatim Lutherana, qvod probatur, inductione classicarum Religionum, Gentilis Judaicæ, & Turcicæ. Jesuitæ multa docent, cum statu civili pugnantia. Notatur Johannes Mariana, & plura recensentur Romanæ Ecclesiæ dogmata, qvæ tranquillitatis Reipublicæ jugulum petunt. Sententia de causa majestatis statui civili convenientiorem esse qvam contraria assertur, & dissertationi finis imponitur.

I.

Sufficienter demonstratum esse puto, hominem obligari ad cultum aliquem divinum ut de existentia Religionis dubitare non possimus, modo oculos iterato intuitu conjiciamus in ea, qvæ hactenus dictas sunt. Si namqve sumus qui ubique DEUM videmus atque manibus palpamus, ubique etiam ad piam venerationem accidimus & rapimur. Ipsas qvas circumgestamus aedes, non

D

ali-

aliter intueri possumus, quam consecratas in visibile invisibilis ac supremi Entis, templum Basilicum, cui pro ara animus humanus pro dedicandis muneribus omnia ea, quæ habemus, & pro perpetuo lyturgo ipsimet toti sumus. Progrediendum nunc porro & demonstrandum, quid hæc Religio sit, quorū se extendat, & quid demum à nobis ea postuleat vel fieri vel intermit-
ti.

II.

Plura hujus rei dabit sacra pagina, perfectam DEUM colendi rationem exhibens; verum nos illud clarissimum jubar linquimus, & in imperfectam & insufficientem naturalem Religionem inquirimus. Quæ etsi vix ac ne vix quidem pure talis ullibi sit, sed vel gentili idolatria corrupta, vel hæretica impietate depravata, vel denique Christiana Sanctitate illustrata, tamē, quin eam, ut pure naturalem consideremus, nil plane vetat,

III.

In qua acceptione (1.) per religionem nihil aliud intelligimus quam supremi Entis venerationem cum amore & obsequio conjunctam.

IV.

(2.) Fundamentum Religionis dicitur id, à quo Religio habet ut sit, quodque adeo, ad questionem propter quod bene expediendam facit.

V.

Cumque Religio relative ad Civitatem sit consideranda (3) Civitatis nomine intelligimus coetum hominum, secundum easdem leges viventium, certa ratione moderatum.

VI.

Ex quibus definitionibus fluunt axiomata.

1. Qvicquid latit sanctitatem DEI, & Majestatem, id Religionis naturalis esse, minime censendum est.

VII.

VII.

Verissimum hoc est, ex (definit. 1.) Vt enim subditus, qv*i* Principem amat, a crimen læsæ majestatis abhorret; ita multo magis Religio naturalis, qvæ est veneratio cum amore sanctitatis, bonitatis & Potentia divinæ, abhorret a læsione supremi Entis. Est enim veneratio cum amore & obsequio conjuncta.

II.

Nullum fundamentum fundato suo est posterius, & qvicquid fundato ut posterius potest concipi, illud illius fundamentum esse negatur.

Patet (ex definitione 2.) fundamentum enim est id, a qvo aliquid habet, ut sit tale, qvale dicitur, E. omne fundatum a suo fundamento dependet. Id v. qvod dependet, jam eo ipse, qvo ab aliquo dependet, eo, a qvo dependet, est posterius. Si ergo fundamentum posterius velimus dicere fundato, & foret fundamentum, qvia fundatum habere essentiam suam ab eo diceretur, & non foret, qvoniam fundatum jam prius haberet essentiam suam, qvam oriretur a fundamento; qvod sane est contradictionis.

III.

Qvicquid in natura fundatur immediate, illud citra sacrilegium nemo ad se trahere potest.

Esset enim hoc ipsum naturam jam everttere, horrendo-que ausu eam suis perfectionibus privare. Ut ergo subditorum nemo audet regalia principis ad se rapere, vel filius familias parenti bona vi eripere; ita iniqum est benignæ matris naturæ, cui omnes subjecti sumus, in nos operationes, ab homine ad se, tanquam primarium dominum, & absolutum monarcham rapi.

IV.

Ad qvodcunque homo naturaliter obligatur, ad id ipsum omnes nullo excepto obligantur.

D 2

Omnes

Omnis enim habent naturam humanam ; id quod ergo ex natura humana fluit, tanquam e fonte, etiam se in omnes eos, in quos ipsa natura, diffundit.

V.

Civitas insequitur demum statum naturalem.

Potest enim naturalis hominis status esse etiam extra civitatem. Civitas enim cœtum hominum significat, secundum easdem leges viventium. Ergo naturam humanam, & ipsum etiam statum naturale supponit. Clarius hæc patent, si credamus Mosi, qui unum tantum hominem aliquando extitisse narrat. Is v. natura humana prædictus fuit, & ex multis hujus unius filiis, & minoribus conditæ sunt Civitates. Sic ergo statum naturale superiorem esse civili est evidentissimum.

VI.

Princeps civitatis non est supra Deum.

Ipse namque homo est, & a DEO æque ut cæteri homines esse suum habet, imo, quam habet, auctoritatem.

VII.

*Omne id, quod insidiatur tranquillitati publicæ, est pernici-
sum ; & quo magis quid tranquillitatem civitatis promovet, eo ma-
gis ei est conveniens.*

Leges enim civitatis tendunt ad tranquillitatem Reipubli-
cæ, quas omnes observare tenentur.

PROPOSITIO. I.

*Religio non est Lex Civitatis, multo minus terricula-
mentum, ad percellendos hominum animos excogitatum,
sed vere lex omnibus hominibus ingenita.*

Religionem tantum legem Civitatis esse afferit HOBBE-
SIVS, isto asserto, pro more suo majestati supparasitatus.
Pas-

Passim hoc paradoxum in scriptis suis proponit. maxime tamen in Element. Philosoph. ubi necessarium putat, Religionem dependere a legibus civitatis. Qvæ si conferantur cum iis, qvæ reperiuntur in aliis locis, sufficienter mentem auctoris explicant. Quid absurdius vel cogitari poterat, qvam in controversis rebus Theologicis, rectam rationem esse eam, qvæ submittitur, rationi civitatis? ast hæc verba ejus sunt l. c. Absurda! homo obligatur naturaliter ad colendum DEVM (per Propos. 6.) in statu proinde naturali, & ante omnem aliam hominis conditionem, cultus divinus locum habet; Civitas vero demum statum naturalem insequitur (per Axiom. 5.) Leges vero civitatis regendæ potissimum & administrandæ, relative ad civitatem se habent. Prior ergo cum sit Religio civitate, qui civitas Religionem ipsam constituere, ac alterius princeps rem in natura humana fundatam citra sacrilegium ad se rapere potest. Evidens ergo est Religionem legem civitatis non esse.

Parallela sunt, qvæ tradidit Machiavellus. Religionem tanquam inanes fabulas, & terriculamenta ad percellendos hominum animos excogitata, ridendam, & de ea non aliter statuendum esse asserit, qvam de Comœdiis, in quibus talem quicunque personam assumat, qvam sibi convenire existimat, cum Religio sit in se indifferens, ad solam plebem coercendam conficta. Sive vero Machiavellus serio hæc scripserit, sive non probarit, tantum ostenderit malefacta; sufficit thesin ipsam sanæ rationi aperte contrariari. Datur lex naturæ, qvæ obligat homines (per Propos. 4.) atque ista ab utilitate non dependet (per Corollarium Propos. 5.) Sed hominem ante civitatem, in statu naturali obligat (per Propos. 6.) Non ergo id, quod natura nobis inplantavit, pro fundamento utilitatem principis habere, ac de cœtero nefandis imposturis & fraudibus nisi potest. Secus enim & naturalis foret, & non foret, sancta simul & vera, & tamen etiam fraudulenta, efficta, impia, obligaret homines, & non obligaret, imprimitis prudentes, imo coleret DEVM, & non coleret, cum omnis cultus ultimato tandem acquiescat, in callide intenta salute Principis.

Rectius ergo Religio naturalis lex est. Homines enim sumus, & dependentes a DEO, Ergo natura obligamur, imo omnes (per Corollarium Prop. 6.) Tam ergo naturalis est Religio, ut hominem vix possit rationalem concipere a DEO creatum, sine dependentia, sine aestimatione Entis, supremi, sine Religione. (Vid. Cap. Sup. Axioma 4. & 5. Proposit. 4. 16.)

PROPOSITIO. II.

Fundatur proxime Religio non in potentia divina, multo minus in socialitate, minime dissidiis hominum, sed ex τῇ ὑπεροχῇ, atque bonitate divina.

Non immorito carpit HOBBIVM GERHARDVS de VRIES, quod religiosæ venerationis fundamentum revocet ad irresistibilem DEI potentiam. Etsi vero fundamentum quoddam removet esse ultro largiamur, tamen Propositionis veritas est evidens, tum quia Religionem, venerationem cum amore & obsequio conjunctam dicimus (per definit. 1.) tum, quia sic lex naturæ formaliter consisteret in metu servili, jamque honesta fierent, non amore virtutis sed formidine poenæ. Pessime ergo Veteres: Primos in orbe DEOS fecit timor. Rectius dicimus, hominem a Deo optimo, tanquam microcosmum dependere, qua omnia, quæ habet, & quibus fruitur. Cumque dependeat a DEO modo, rationalitate maxime conveniente (per Axiom. 5. cap. sup.) non potest non venerari eximiam ὑπεροχὴν, & multo magis bonitatem, eoque ipso ad cultum, erga tam benignum & clementem DEVUM impelli.

Recedunt a sententia ista illi, qui putant, uti morum in genere, ita potissimum etiam Religionis fundamentum unicum esse societatis civilis culturam, præpostere plane Ethicam Politicæ subordinantes. Verum in salvo res est. Nullum fundamentum suo fundato est posterius, & quicquid fundato ut posterius potest concipi, id ejus fundamentum esse nequit, (per Axiom. 2.) societas vero ipsa Religione est posterior: Religio enim naturalis

ralis est (per Propos. 6. Cap. Sup.) Societas vero statum naturalem inseqvitur (vid. Ax. 5.) altius ergo petenda sunt Religionis fundamenta, & ex ipsa rationali natura desumenda. Optime PVFENDORFF: *id officium cuilibet inhæret, quatenus creatura DEI, mente prædicta, existit, eoqve insolubili nexu animam ratione præditam conseqvitur* -- Ex hoc autem, & quia Religio ad Deum refertur, conseqvitur, ad hanc exercendam non necessariam esse per se conjunctionem plurium hominum.

PROPOSITIO III.

Religio potestati civili subjecta esse non potest, nec potest Princeps Religionem talem vel talem imperare.

Naturalis enim est, & qvidem quatenus est Religio, hoc est, veneratio cum amore & obsequio conjuncta (per definit. I.) majestas vero posterior est civitate, & civitas ipsa posterior statu naturali, in quo quatenus degunt homines, civili imperio obnoxii non sunt. Ut ergo civitas ipsa, naturalem statum sequens, refertur ad venerationem & amorem Principis, ita quoque veneratio ista civilis est subordinanda venerationi naturali, quia obligatur homo principi summo, DEO, quia Princeps non est supra DEVUM (per axiom. 6.) Principem ergo, qui collocat supra Deum, laedit DEVUM, & ejus Majestatem. Majestatis vero divinæ veneratio cum fundetur in essentiæ nostræ dependentia, & haec ipsa sit Religio; impossibile est inferiorem DEO principem DEI superioris Naturam posse induere, & Religionem præscribere, eoqve ipso obligationem quæ in dependentia essentiali fundatur, suam facere. Optime ergo PVFENDORFF. nemo velut suo jure, a me postulare potest, ut ad ipsius potius, quam ad proprium judicium, DEum colam. Nescia est Religio imperii humani, atque coactionis, tam que impossibile est eam cogi, quam impossibile est cogi assensum.

Libertas ista Religionis non est extendenda ultra id quod nobis injungit naturalis Religio, vel speciale quoddam præceptum ipsius

ipsius DEI , qvalia suppeditat revelatio Christianis. Potissimum vero hactenus dicta spectant ad Religionem internam, naturalemque obligationem ad pie, sancte & sobrie sentiendum de Deo. Cæterum, quæ peculiares hominum de culto divino differentias, distinguendum inter actus intellectus & voluntatis. Illi quales sunt credere sci-
re, sentire, opinari de DEO, & rebus divinis, simpliciter omnes respuunt imperium superioris, quia non agnoscunt imperium ipsius hominis, eo quod intellectus ipse libertate omni destituatur: quod vel inde patet, quod sèpius ea sciamus, & credamus, quæ vel nescire, vel non credere optamus Bene proinde MINVTIVS FE-
LIX. de Epicuri de grege porcis asserit, optare eos magis quam cre-
dere, se nihil esse post mortem: Hactenus, ergo Religio liber-
tima est , adeoque svadenda non cogenda. Ad actiones vero voluntatis externos quando per ventum est , tum illæ , quatenus in civitate se exerunt , utique imperio Principis subjectæ sunt, modo non simpliciter fundentur in naturali Religione & recta ratione, quales sunt: DEUM invocare, laudare, & preces fundere. Homines namque a abdicata naturali liberrate, voluntatem suam Principi submiserunt , sed in illis potissimum, quæ ad finem civitatis, nempe tranquillitatem & securitatem perti-
nent. Cum autem Religionis exercitium ex se, & primaria intentione non intendat hanc securitatem, sed ante securitatem talis hominum in civitate, imo ante ipsam civitatem sit , circa eandem Religionem quatenus nimur est actus naturaliter ho-
mini competens, voluntatem Principi nec submiserunt, nec sub-
mittere potuerunt. Inutile proinde ac absurdum est, aequum ac impossibile, quod multi à subditis velint, ita submittendam esse principi voluntatem ut ad arbitrium principis etiam promittant velle amare DEUM, in idolis confidere, aut plus sive Regi, quam DEO tribuere etc. Pudeat ergo Romanæ Ecclesiæ Politicos, qui tantæ sunt impudentiae, ut non tantum promissionibus, hy-
pocritas suæ Religioni concilient, fraudibusque homines, quan-
doque infirmos, quandoque vix ulli veræ Religioni addictos, ad externam suæ Religionis professionem rapiant, verum etiam ex-

il-

exiliis,imo suppliciis & tormentis cogere tentent, qvo ipso jam pridē
apud omnes emunctioris naris homines, turpissime sese dederunt.
Hæc vero dum dicuntur, non negatur, convenire summis potesta-
tibus jus circa sacra, & hæc ipsa aliquatenus ab illis dependere. Pri-
mo namque Princeps id agere debet, ut moneat Cives de exco-
lenda sancta Religione. Secundo, id etiam agere potest ac debet,
ne actus externi, qvibus destruitur aut universa Religio, aut pri-
maria ejus capita, committantur. Hic sane Religio ac Cultus
perversus, vel etiam Atheismus cōercendus est. Credere, Mun-
dum esse DEUM, assentiri propositioni impiæ : non est DEUS,
sunt actiones intellectus, & à poena civili immunes ; sed coinqvi-
nare animos aliorum hominum, publica professione, hisce absur-
ditatibus, easqve scriptis publice disseminare, est actus ex-
terrus voluntatis perversæ, adeoqve jam hactenus Religio utique
subjacet potestati, & nullo modo est deneganda principi aucto-
ritas circa eam. Non ergo sub specioso liberæ Religionis titulo, li-
citum est dogmata qvæcunqve proponere, aliis suas sententias
scriptis propinare, & impiis qvandoqve opinionibus, actu volun-
tatis perversæ, plebem potissimum imbuere, & seducere. Si dicas
jure sic potuisse Synedrium Hierosolymitanum prohibere prædi-
cationem Evangelii de IESU CHRISTO, & peccasse Apostolos,
qvando contra præceptum Synedrii, populo Evangelium prædi-
caruissent ; attendas ad auctoritatem DEI præcipientis, ejusqve
serium mandatum, qvod non temere ab Apostolis jactatum fuis-
se testantur signa & miracula plurima, qvibus vocationem suam
sufficientissime probarunt. Interim maxime notatu dignum,
nunquam rebelles vel criminatores Majestatis extitisse, sed in o-
mnibus reverentiam Magistratus adeo observasse, ut contra fu-
rores. Satanæ non aliis usi fuerint armis, qvam heroica patien-
tia, & indefessis pro conversione Magistratus precibus. Ritus ve-
ro ad externam Religionem spectantes qvod concernit, si impii
non sint, utut in eos aliquod jus conveniat principi, tamen cum
plebs eos qvandoqve à substantialibus Religionis discernere non
possit, rectius faciet, si scrupulosas Conscientias subditorum non
efficiat, eoqve ipso sibi in conscientias nihil arroget, imperii, nec

se ipsum odiis & quandoqve insidiis subditorum, Rempublicam
vero seditionibus exponat. *Tertio* Princeps obligatur ut Religi-
onem defendat, eique à maleferiatis vim inferri non patiatur.
Est enim Religio arctissimum vinculum societatis, quo sublato,
vita hominum stultitia, scelere, & immanitate complebitur. Prin-
cipis ergo est intemeratam illam servare, ac turbatores, & qvotqvot
sancta illius adyta, impiis verbis vel etiam factis conspurcunt, pu-
nire. Qva de causa graviter monet LIPSIVS; serio serio hoc imbi-
bendum esse; nihil esse in rebus humanis Religione præstanti-
us, eamqve summa vi oportere defendi. *Quarto* tandem ne-
cessarias impensas & sumptus ad cultum requisitos suppeditare
obligatur. Eleemosynis namqve utut quandoqve sustentatam
fuisse Religionem deprehendamus; tamen cum sint instabiles &
incertæ, necessarium videtur certa stipendia dare iis, qui rebus
sacris sunt præpositi. At hæc omnium optime ad Magistratum,
tanquam patrem civitatis spectant, qui proinde personis eccl-
esiasticis, de salariis, immunitatibus & pro conditione circumstan-
tiarum de fundis prospiciat. Modus vero servandus est, ne
bona concessa minora sint, quam quæ sufficiunt ad honestam su-
stentationem cum aliquaque etiam auctoritate conjunctam; vel tam
magna, ut ex illis Respublica detrimenta patiatur, ut apud
Romano Catholicos videmus, Statum ecclesiasticum ut plurimum
divitiis non tantum æquare politicum, verum etiam superare,
& præpostero modo, ipsi quandoqve principi, leges præscribere.
Exempla ex Historia recensere nostrum non est. In sola Gal-
lia, Clerum haurire redditus ultra centum centies mille thalerorum,
testatur de LA CROIX Geograph. Germaniam vero nostram Ar-
piscopatibus, Episcopatibus, Abbatii, & infinitis bonis ecclesias-
ticis refertam, omnes videmus, Coronidis loco adjiciemus, quæ
habet CONRINGIUS: * in qualibet bene constituta republica
tanta debet esse bonorum Sacrorum vis & copia, quæ sufficit sacris
obeundis Sacrorumque ministris honeste & cum auctoritate quadam
alendis. Igitur de illis quidem bonis sacris nabit esse per tributa
aut

* ad Lampad. p. 3. c. n. 843.

*aut alias protestationes detrahendum, facile appareat, utpote cum
detractio illa non possint non sacra capere aliquid detrimenti. Ceterum si bona illa sacra magis fuerint opima & superflua, omnino & illa debere inservire necessitatibus Reipublicæ non minus atque alia, manifestum est.*

PROPOSITIO. IV.

Non decenter secundum naturam colitur DEus, nisi colatur unus & solus, & eo ipso, quo vel non unus colitur, vel aliis præter eum, cultus honore afficitur, definit esse Religio & veneratio, ac in crimen laæ majestatis divinae degenerat:

Unum namqe est Ens supremum & independens, (per Propos. I. sup. Cap:) Religio vero est Entis supremi veneratio, cum amore conjuncta, (per definit: I. -) E. qui unum DEUM non colit, jam recedit ab actu religioso, qui naturalis est hominibus, si vero præter unum DEUM colatur aliis qvis, qui non est DEUS; quid aliud ille actus religiosus est, quam horrendum monstrum? Sane si Astarten cum mundi arbitro conjungamus, colimus DEUM verum à quo habemus esse nostrum, eundemque ob ὑπεροχὴν summam veneramur: et tamen, dum aliquid aliud adiungimus, ὑπεροχὴν istam denegamus, qvia aliud Deastrum eo honore afficimus, qui ex eminentia DEI resultat, & quo supremum Ens tantum afficiendum esse, natura docebat. (per proposit. 6. cap. super) Est ergo talis actus contradictorius, laedit DEI majestatem, & conseqventer Religionis naturalis esse minime est censendus.

Non est, quod qvis Religionem Gentilium, objiciat, Politeismo undiquaque conspurcatam. Ipsam namque Religionem naturalem horrendo modo suisse corruptam & depravatam, non tantum Apostolus Paulus testatur, verum etiam recta ratio sufficienter monstrat. Abhorret, iudicio accuratissimo Magnisici Dn. ROEHRENSEE, * a divina perfectione, plures uno Deos statuere vel colere, hominesque reddit dubios, ut incerti ambigant, quem Deum venerari, aut cuius opem implorare debeant. Doctri-

* Prud. Moral. p. 472,

nam Sapientum gentilium de uno Deo recitare opus non est.
Sufficiat testimonium * MAXIMI PHILOSOPHI : *unum esse
Deum, summum atque Magnificum, quis iam mente captus neget
esse certissimum.*

De Trinitate, quam fide Christiana credimus, & sancta Religione veneramur, paulo aliter sentiendum. Etsi namque plurimi, natura cognitam esse afferant, & potissimum POIRETTVS, ** methodo demonstrativa, e ratione eam probare voluerit; tamen rectius dicitur, tantum mysterium naturam nostram corruptam longe superare, etsi forte diffidendum non sit, in statu perfectioris, (quem aliquem fuisse sana ratio dictat) eam naturaliter fuisse cognitam.

Alium praeter Deum colunt, qui in locum Dei, imagines, & sculptilia & alia simulacra substituunt, adeo majestati divinæ exosa, ut omnium maxime, supremum Numen ad iram commovere potuerint, id quod toties sacra testatur pagina, exemplo Israelitici populi, plane ad idolatriam proni. Nec meliores hodiernum existunt, inter Christianos plurimi, qui etsi Deo vero, cultum non denegent, tamen eidem Angelos & Sanctos addunt non tantum, verum etiam conspectis statuis, picturis, genua flectunt, aliisque internam erga haec ipsa manufacta reverentiam ostendunt. Quod ipsum apud Romanos hodiernos fieri, quotidianie videmus, quascunque deum ad palliandam sententiae suæ macritudinem adhibeant phaleras. Ut vero impium est, Deo jungere imagines, ita maxime concessum, nec contra Religionem naturalem, servare monumenta, quae de vera pietate, & interna æque ac externa veneratione erga supremum Numen nos commonefaciunt. Quæ uberior explicant Theologi.

PROPOSITIO. V.

Omnis cultus crudelis & ridiculus, maxime vero simulatus, est contra Religionem naturalem.

Vene-

* Epist. ad Aug.

** Cogit. Rat.

Veneratio enim est cum amore conjuncta. Sed nec ~~veneratio~~, nec amor, crudelitatem involvit. Uti v. naturalis Religio non destruit naturam, ita quoque ab omni crudelitate est remotissima. Multo magis modus colendi DEVM ridiculus, pugnat cum maiestate & Sanctitate divina, quae venerationem, sibi etiam convenientem postulat. Maxime vero contradictorius prorsus est cultus simulatus. Ad Religionem enim homo naturaliter obligatur, (per Propos. 6.) & quidem vere, non per solam apparentiam. (vid. Propos. 4. sup Cap.) Omnes ergo, nullo excepto obligantur ad verum talem cultum, in natura fundatum praestandum, (per Axiom. 4.) qui vero Deum simulato afficiunt, nec vere Deum venerantur, nec amant, nec naturalem obligationem observant, atque sic universam Naturalem Religionem, plane destruunt.

De cultu crudeli multa dici possent. In primis ~~τερπιτης~~ ~~ανθρωποθυσias~~, quae innumeram multitudinem hominum hau- sit, & hodienum consumit. De Molocho Carthaginensium con- stat, eum adeo in viscera populi saevisse, ut ne quidem licue- rit peregrinos infantes pro suis substituere, nisi iram dei trucu- lenti in se derivare voluerint. Sardiniae incolae, senum sangvi- ne Deos placare studuerunt. Peruviani intactas virgines & tenellos, gratissima censem diis sacrificia. Massilienses, ut pingvia of- ferrent piacula, homines in cædem saginarunt, iisdemque con- tribules suos Numini reconciliare sategerunt, plane contra puram naturalem Religionem, quae amorem tantum, & animi submissionem flagitat. Cæterum gentiles homines, tam cruenta Reli- gione Deum colentes magis deplorandi sunt, quam culpandi. Agno- verunt sane isti, se & que ac majores suos deliqvisse in Dei bonita- tem ac justitiam, adeoque præter venerationem ac amorem secun- dum pure naturalem Religionem, se obligatos esse ad justitiam divi- nam, ejusque iram prorsus intolerabilem placandam. Agnoverunt porro non alio vitam hominis, quam morte hominis redimi posse, exemplo Druidarum apud JVL, CAE S.* quibus rationi prorsus vide-

E 3

baw

* de bell. Gall.

batur consentaneum, ut, qvæ natura peccaverat, de suo hostiam præberet. Bona qvidem intentio, bonus finis. Sed miseri, non Deo, sed maligno Genio litastis! Feliores sumus Christiani, qvi oblatam scimus pro placanda justitia & ira divina hostiam, de genere humano, verum non tam invalidam, & Deo ipso exosam, verum præstantissimam, divinitatis plenitudine refertam, infinite validam. Sed taceat hic nostra ratio, & in sola admiratione acqiescat, ac sanctiore qvadam, qvam philosophica lingua est, hæc, qvæ ὑπὲρ νῦν sunt, edisserat.

Ridiculi cultus specimina adducere, vetat cui studemus brevitas. De simulata tantum Religione tribus adhuc verbis. Visitatissima nunc est, inter eos, qvi maxima auctoritate non tantum pollent, verum etiam, qvi jure qvodam de se dici volunt.

Solus sapit, reliqui volitant velut umbræ, etsi, si dicendum qvod res est, in opinione sua infatuati sint. Certe, non negant isti homines Religionem, nec ob internum testimonium naturam ejurare possunt. Quid vero in Religione simulatio? næ, hæc si hic obtineat, de ista prorsus conclamatum est. Interiori Religione isti homines dedecus cordis abscondere cupiunt, graviter in omniscientiam Entis supremi impingentes: exteriori vero cultu, Religionem & in comædiam & jocos immunt, ac Deo ipsi, gesticulatorum more, mimes illudunt, & sic sanctitatem, Bonitatem & infinitum amorem DEI præfracte peribus conculcant. Audiant sapientem CATONEM:

Si Deus est animus, nobis ut carmina dicunt,

Hic tibi præcipue sit pura mente colendus.

PROPOSITIO. VI.

Etsi naturaliter obligemur, ad colendum Deum, tamen omnes etiam naturaliter ita comparati sumus, uti, si nostram conditionem intueamur, fateri necesse habeamus, cultum nostrum divinum, quatenus naturalis est, esse admodum imperfectum, perfectioremque magis esse statui nostro convenientem.

Na-

Naturalis obligatio ad colendum Deum, saepius demonstrata est; ulterius nunc ad intimiora Religionis penetrandum est. Cauter vero hic procedendum, ne in uberrimam Theologorum messem, falcem, (quod ajunt,) immittamus. Hoc scimus ex ratione, Religionem esse venerationem cum amore ac obsequio conjunctam. Ast, qualem Deo debebimus venerationem, & quoniam testabimur obsequia nostra & amorem? De obsequio res videtur facilior, si illud in observatione honesti, & aversatione turpis collocemus. Qualia, vero tandem Amoris edemus documenta? Non sane ea, quae nobis videntur appetibilia, protinus & Deo talia existunt. Augetur haec difficultas, si nosmet intueamur & tales nos non amplius reperiamus, quales sumus a Deo, deprehendimus nos vitiis inquinatos, quotidiane magis laedere violatione connatorum praceptorum supremum Numen, quam amore, essentiae nostrae convenientissimo, per supra dicta, prosequi.

Ἄλογα proinde sunt, quae Propositioni nostrae contrariantur, apud notissimum Anglum HERBERTVM, qui usque adeo adulatur humanae naturae, atque Religioni naturali, ut eam per omnia, ad omnia sufficientissimam esse dicit. PETRVM CHAVVINVM vero non satis demirari possumus, qui sola naturali Religione, homines ante diluvium aeternam salutem consecutos esse, confidenter afferit.

COROLLARIVM.

Pædagogus ergo est Naturalis Religio ad revelatam.

Dum enim imperfectionis nos admonet & magna infirmatis intellectum & voluntatem convincit, utique jubet altiores scholas adire, quae istum defectum suppleant, & medelam quare, quae morbos animi curet. Quare etiam in scriptura propter naturalem Religionis notitiam, Ethnici dicuntur ἀναπολόγητοι.

PRO-

PROPOSITIO VII.

*Nulla datur Religio in Mundo , qvæ naturali magis
fit conveniens & conformis , quam Christiana , ut est talis,
qvæ nullo prorsus in capite naturalem Religionem evertit.*

Omnis percurrere , qvotqvt in orbe existunt Religiones , a nobis qvis postulabit ? Christianam tantum Religionem cum Judaica Mahomedana , & gentili conferemus , qvo insignis illius , præ istis , prærogativa , & cum naturali Religione ssvissima harmonia appareat . Absit vero , sanctæ Judaicæ Religionis , qvæ Christiana ipsa est , a nobis blasphemia ; de corrupta loquimur , (et si non diffiteatur CHAVVIN , etiam illam , non per omnia naturalem fuisse) qvam innumeris fabulis & commentis , & absurditatibus , prodigiosam esse qvis ignorat ? qvandoqve in sanctitatem DEI & majestatem injuria , qvo ipso naturalis Religio evertitur . (per Axioma 2.) De Mahomedana magis adhuc a naturali Religione recedente , plura dici possent ; Sed opus non est , Unum tantum supponatur , qvod hactenus a nemine negatum novimus , eandem e Judaismo , Gentilismo , & tandem Christianismo absurde conflatam esse , ea vero , qvæ habet a gentilismo , vanæ mentis vaframenta , si ad commenta Judaica ponantur , qvid inde resultat , qvam innumerarum contra Religionem naturalem absurditatum colluvies . Paucula , qvæ a Christianismo habet , sufficientia non sunt , ut ab innumeris contradictionibus eam liberent . Accedit adhuc , qvod tota tota nitatur imposturis ac fraudibus , arma spiret , & ad effundendum sanguinem facta videatur , præterea nil masculi habeat , sed plurima proferat commenta , absurdia , ridicula , ad qvæ tamen amplectenda , nulla relicta inqvirendi libertate homines adigit . Gentilis tandem Religio , qvæ a naturali Religione probe distingvenda est , qvid aliud est , qvam fœtidarum dogmatum scabies . Colit Deos , non Dœum , qvod vel unicum naturalem Religionem evertit (per Proposit . IV.) Crudelis est , & in sanctitatem divinam impia , qvippe sanguine hu-

* de Rel. Nat. lib. 2. Cap. V.

humano, ludis & saltationibus, spurcitie plenis, diis litans. Quare & SENECA, ipse homo gentilis, in libro, quem contra superstitiones edidit, ab * Augustino citatus, de ritibus crudeliter turpibus dicit; se ipsi in templis contrrucidant, vulneribus suis ac sanguine supplicant, si intueri cui vacet, quae faciunt, quaeque patiuntur, inveniet tam indecora, tam dissimilia sacris, ut nemo fuerit dubitaturus, furere eos si cum paucioribus furerent; nam sanitatis patrocinium insanientium turba est. Plura vis? LACTATIVM ** per integrum librum differentem audias. Enumerabit Veneris plura Adulteria, quam partus: leges versus: Tantum Religio potuit svadere malorum, Que peperit saepe scelerosa atque impia facta. Nonne satius est, pecudum more vivere, quam Deos tam impios, tam profanos, tam sanguinarios colere? quid potest esse his hominibus sancti, aut quid in profanis locis facient, qui inter aras Deorum summa scelera committunt. Eqvidem animus fuit per totam dissertationem parcus adhibere summorum viorum testimonia; hic tamen mihi temperare non possum, quin denuo adducam SENECAM, ritus gentilium ita deridentem: ille viriles partes fibi amputat, ille lacertos secat; ubi iratos timent, qui sic propitos merentur? Dii autem nullo coli debent genere, si & hoc volunt. Tantus est perturbatae mentis, & sedibus suis pulsæ furor, ut sic dii placentur. Una ergo supereft Religio Christiana: sancta hæc est, Deum unum colit, pura mente veneratur, omnium virtutum, etiam illarum, quæ externa quadam vi imperari nequeunt, est auctor & incitamentum; purissima, castissima, pia, modesta, benigna, tamque stupende in omnibus virtutibus proseqvendis harmonica, ut naturam ipsam superet, & olim jam ejuratos sui hostes in admirationem converterit. Plura dabit cum *** GROTIO, **** HVETIVS.

PROPOSITIO. VIII.

Nulla Religio statui civili tam est conveniens, quam Christiana, & potissimum quæ depravata non est, sive Lutherana.

F

Gran-

* L.6. de Civ. Dei.

** de falsa Relig.

*** de Verit. Relig. Christ.

**** demonstr. Ep

Grandia utut hic suscipere videamur, tamen freti bonitate causæ, qvid impedit probationis demonstrationem? Omne id, qvod repugnat tranqvillitati Reipublicæ, eiqve insidiatur, ei conveniens esse non potest (per Axioma VII.) si proinde demonstratum erit, insidiari omnes Religiones tranqvillitati Reipublicæ, sola excepta Lutherana, res erit in salvo. Retinebimus qvatuor classicas in orbe Religiones, Gentilem, Judaicam Turcicam & Christianam, & hujus potiores in Romano Getmanico Imperio, qvæ reperiuntur, differentias, cum omnium Religionum nœvos ostendere velle, Augiæ sit suscipere purgare stabulum.

De gentili evidentissima res est, eam occasionem directe dare ad scelera, qvæ unicam esse Reipublicæ pestem, qvis negat? Audiamus * JVSTINVM MARTYREM: qvid Tu, cum Græcus sis, filio succenses, si Jovem imitans tibi insidiatur, & nuptias tuas furatus est: qvid dicendum de ebrioso Baccho, mulieroso Hercule, impioqve in fratrem Romulo? anne aliud potest svadere Religio, qvam imitationem Deorum, qvæ tamen talis, tam perniciosa est Reipublicæ, ut homines nil tam infociables reddat, qvam horum Deorum imitatio, qui tamen laudantur, commendantur, adorantur, & sanctissimis verbis describuntur.

Judæi, etsi omni Magistratui ad admirationem usqve subjecti sint, tamen tanta veneratio & Pietas non fluit ex Principiis Religionis, potius ex formidine pœnae, decætero, ex animo omnibus Christianis infensissimi, & Romano Imperio omnes maledictiones, & minas divinas imprecantes. Utut vero dandum, Judæos, si forte principi de sua gente iterum parere contingeret, eundem utiqve omni pietate prosecuturos, tamen pro ista rerum conditione & statu, Judaica Religio statui Reipublicæ non usqve adeo est conveniens, qvia injuria est in Religionem, & de se libenter læreret tranqvillitatem Reipublicæ, modo pressa undique lacertos movere posset.

Muhamedana Religio etsi a nefario Impostore Muhamede potissimum ad amplificationem Imperii conficta, & tota politice constructa sit, statumqve civilem mirè adjuvent dogmata Alcorani,

* In Orat ad Græcos.

ni, de Fato, de præmiis illorum qvi in Bello, pro ampliando Regno suscepto, impigre moriuntur, de prohibitione omnium controversiarum de capitibus Religionis, concessa Polygamia, &c. tamen adeo malignus Muhamedi genius contra se ipsum est, ut primarium pro amplianda Republica, de Fato, caput, jugulum Status civilis petere possit, directe & perse. Sane si nemo moritur ante fatum, et si se immergit periculis, si ea omnia Deo sunt probata, qvorum felix est successus & eventus, qvid non licebit, qvid tentare impium erit? narrat Cæsareus olim Legatus BVSBE-QVIVS *in Epistolis: Agam Turcorum de seditione Selim in patrem Bajazeth statuisse; de seditionibus ante eventum vix ferdum esse judicium, eo qvod Religio Turcarum doceat, ex eventu esse judicandum de eo, qvid in ejusmodi actionibus justum fuerit qvid injustum, qvod ipsum qvidem, si non insidiatur majeſtati & Reipublicæ tranquillitati, qvid tandem ei contrarium dixerimus?

Supereft, ut pro mira harmonia Religionis Christianæ cum statu civili pauca dicamus. Est ea naturalis, imo est naturalis, illustrata magis & perfecta: bene novit, voluntatem Principi in omnibus, qvæ non aperte sunt contra legem naturalem, atqve in Deum impingunt, subjiciendam esse. Inculcat sedulo, non tantum reverentiam Magistratus, census, tributa, vectigalia, verum etiam patientiam & constantiam, in adversis, in illata vi & injuria. Quid multis? ne mica in tota Religione Christiana, qvatenus est talis, reperitur, qvæ lædat tenerimum Majestatis oculum.

Sed notanter dicimus Religionis Christianæ, qvatenus talis est: si namqve in eos omnes attentos convertamus oculos, qvi sancto isto nomine insigniri cupiunt, plurimos deprehendemus a sanctitate præceptorum Religionis Christianæ, imo a naturali Religione multum recedere. Plus dicendum: Illi, qvi a sancto IE-SV nomine dici cupiunt, docent, principem, cætera legitimum, si a qvibusdam, præsertim doctis, Tyrannus declaretur, occidere, esse licitum, exemplo JOHANNIS MARIANÆ, de Instit. Princip. qvi tamen liber, tandem Parisiis flamas ultrices expertus est, & simul hos homines imposterum cautius mercari docuit. Specialia exem-

* Confer. Lonicer. de reb. Turc. Tom. I.
pla

pla moliminum Jesuiticorum, adducere opus non est, nota namque sunt lippis & tonsoribus sanguinolenta, in Reges etiam, & Principes consilia, parricidiorumque horrenda ad Cœlum elatio. GEORGIVS HORNIUS * hic dicat, quid de ista Philosophia, vel Religione, vel quo tandem titulo magis paradoxon appellare velis, sit habendum: Reputent ergo secum principes atque rerum domini, quotus quisque illorum per hancce Philosophiam vita sua securus esse queat! non Protestantes securi sunt, quia hoc ipso, quod Romano Pontifici non obtemperant, pro Tyrannis reputantur: non Romanensium sacris addicti, quia e trium, quatuorve Virorum sententia atque decreto, illis aut vivendum aut moriendum est. Plura sunt, quæ Romani docent, cum statu civili aperte pugnantia. Infallibile & mentiri nescium Ecclesiæ caput BONIFACIVS, VIII. in Bulla: VNA SANCTA hæc pronunciat: uterque gladius est in potestate Ecclesiæ; Ut impia summorum Pontificum, in Majestatem facinora, quæ sacræ leges Ecclesiæ sunt, non attingamus. Quid magis pernicisum est, aut quid jugulum magis tranquillitatis, Republicæ petere potest? Non finis αὐτοῦ Φόνων cum statu civili. Juramentis ludere, iisdem hominibus imponere; hereticis (quos putant) fidem non servare, Conscientiis vim inferre, omnia sunt ad seditiones, Bella & tumultus incit amenta: Transeant reliqua; perniciosa exemptio Episcoporum ab imperio civili, periculosa divitiae, & piæ, uti loqvuntur, fraudes, impiæ maxime.

Si qui præterea sunt, qui fatalem rerum omnium necessitatem asserunt, Majestatem tantum, pro institutione humana habent, non sane tam convenientia docent statui civili, quam illi, qui dicunt, Majestatem esse a Deo, eiique in omnibus, quæ Deum non laedunt, parendum, & fatalem rerum necessitatem improbant.

Plura dici possent: sed in præsenti sufficiat, hæc, ὡς ἐν συνοψίᾳ dixisse. Cæterum argumenti ubertas concisioris nostræ Tractationis ratio est, quam L.B. æquvi bonique consulat, memor, de industria, plura conflictui publico servata fuisse.

* *dissert. de Tyrannide, dissert. 8. Inst. Polit. p. 123.*

Cap. I. §. 10. lin. 24. pro horam, leg. horum. lin. seq. pro bidentur, evidenter. Prop. I. pro aliquot l. aliquod. Cap. 2. in syn. lin. antepen. pro sententia leg. sententiam, §. VI. post axiom. I. del. Num. VII. Apion, 2. lin. 6. pro ipse l. ipso.

coll. d. 35. N. 70, lin. 8. 65